

7.  
*desiderabili JESU, trabe nos post Te, ut ibi simus effectu, ubi nunc  
sumus affectu, & per tuam gratiam de virtute in virtutem adscenden-  
tes Te Deum Deorum videamus in caelesti Sione, Amen.*

Ceterum praesentes declamatores nostri scholastici de *Tri-  
umpbo Christi Ascendentis & Terrestris & Coelesti* dicturi sunt, idq; vel  
propterea, ut discessus ipsorum eò splendidior fiat atq; magis me-  
morabilis. Uterq; praediti sunt ingenio pra alijs felici, uterq; probi  
sunt, diligentes atq; studiorum suorum indefessè satagentes ado-  
lescentes. Atq; JOHANNES quidem ERNESTUS BÜTHNE-  
RUS Friedersdorffio- Kirchhaynâ Lusatus à Reverendò suo Patre,  
M. MATTHÆO BÜTHNERO Pastore hodiè Lohseni vigilan-  
tissimo, Virò plurimæ eruditionis editis concionibus clarato, ipse  
ad nos adducebatur d. XI. Aprilis anni clc clc LXIII, operosius at-  
que diligentius, quàm inter rurestres fieri aliàs aut potest aut solet,  
informatus, quod allatum secum peculium egregiè apud nos au-  
xit, *lectiones publicas ac privatas diligenter visitando, attentè & absq;  
garrulitate odiosâ auscultando, decenter & sine hesitatione recitando,  
exercitia quævis sedulò componendo ac tempestivè exhibendo, & deniq;  
foràs prodeundo ad publicam usq; specimina.* Namq; anno LXIVtò d.  
XII. Novembr. *Psalmum Davidis XXXmum carmine Hexametro la-  
tino* à se redditum; ann. seq. d. XXVII. Decembr. *Parodian Eclogæ  
quartæ Virgilianæ Nativitati Christi JESU accommodatam* publico in  
confessu recitavit. Coram eodem postea anno LXVIto iterum  
*bis* justas duas orationes habuit, alteram quidem de *Christi Resur-  
rectione*, alteram de *Custodia angelicæ impetratione*. Nuper adeò,  
quod in viridi adhuc vigebit memoriâ, *Passionis Domini & historiam  
juxta filium B. Matthæi Evangelistæ & carmine græco heroico & ele-  
giaco latino* exhibuit. Semper bellè stetit. Alter verò WENCES-  
LAUS Rutschera Pirnâ Misnicus, gente Bohemus, puer admo-  
dum nostræ disciplinæ surculus factus fuit anno clc clc LIIIto, ubi  
*multorum annorum fidelissimam operam* debet Collegæ nostrò VA-  
LENTINO Barschildt / atq; sic per serperastra inferiorum clas-  
sium